(III)
...g. Alex (Alexandri filius Georgii I. nepos).
Bogdanski Gabriel Equus animosus sacratioris Bellerophontis.

EQ
Sa
D
I
I N
Ad ingresſũ
CEL
EXC
D
A L
J
Jn Wiśnicz, Ja
H A
LU
P A I
Genera
Sac: C
C
Sub
à fideli ma
P
Annô Exe
CRACOVIA
mi D

EQVUS ANIMOSUS
Sacratioris Bellerophontis
DIVI EQVITIS GEORGII:
In Martiali Campo,
INDEFESSVS,
In Olimpiaco Honorum Cursu,
INSVPERABILIS,
Ad ingresſũ in ſupremæ Dignitatis Faſtigia, Inclyti Palatinatûs Sandomirieſîs,
PROMPTUS.
CELSISSIMO JLLVSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO DOMINO,
D. GEORGIO ALEXANDRO
S. R. J. PRINCIPI,
Jn Wiśnicz, Jarosław, Koniecpol, Szarogrod, Jazłowiec, Raſzkow COMITI. Ducat' Roſin:
HÆREDITARIO DOMINO
à Lubomirz
LUBOMIRSKI,
PALATINO SANDOMIRIENSI,
Generali *Velt*MARESCHALCO Exercituum Sac: Cæſar: Majeſtatis: SANDECENSI &c. &c.
CAPITANEO.
Sub felicisſimis, ejuſdem, inaugurationis, auſpicijs
à fideli manu Cultoris ſui, Officij Caſtrenſis Capitan: Sandec: Subdelegati jurati,
Ad aſcenſum Honoris,
PORRECTUS.
Annô Exorta in terris Æquitatis. MD. CC. XXX: *Die 21. Aug:*

CRACOVIÆ, Typis Jacobi Matyaſzkiewicz, S. R. M. Jlluſtriſsimi & Reverendiſsimi D. Epiſcopi Cracovienſis Ducis Severiæ Ordinarij Typographi.

In Gentilitia Arma
CELSISSIMI PRINCIPIS.



Cedat Hesperij tantisper gloria Ponti,
Quòd, mundo Titan, unus ab inde venit.
Orbi Sarmatico pluris est LVBOMIRIVS Amnis,
Ex qno tot soles, quot, numerato Viros.

Vobis Ionia virides Neptunus in alga
Claud: Nutrit Equos, qui summa freti per cerula possin
Ferre viam. - - -

CELSISSIME
ILLVSTRISSIME & EXCELLENTISSIME
DOMINE.

EQvum Tibi præsentat, æquitatis Tuæ, demissus cultor; nam Æqui & Equi studiosissimus es, CELSISSIME PRINCEPS: ut de Æqvo, & Equo, ascendas, Senatoriam Inclyti Palatinatus Sandomiriensis Curulem. Quo Te merita & dignitas Tua, favor Regius, vota Procerum, animi universæ Nobilitatis provehunt. Jam Tibi ad ascensum Gloriæ, ostroq; insignis & auro, stat sonipes. Nõ absq; tamen invidia Craci: in cujus visceribus olim, celso Nomini Tuo, Romanæ Aquilæ, non humilem posuere nidum. Nec mirum, quod superet celebrem, antiquitate & pretio Istulam, qui aureum excedit Gangem, gentilitius SRZENIAVA Tuus. Transmeat amplissimos, Inclyti Palatinatus Sandomiriensis campos: quos Tua inundat, munificentia: ut ex eò, honoris & gloriæ Tuæ, fiant fertiliores: in quibus hucusq; Aboriginum Tuorum, ingens fama crescit, & dilatatur in Purpuris; vel maximè, in Celso illo San-

Sandomiriæ *Duce LESCONE, qui Inclytæ propaginis Tuæ, originem, toti Europæ, etiam vastissimis Poloniæ campis remonstravit ampliorem. Verum quoniam, augustæ Gloriæ* Palatinæ *Dignitatis Tuæ, angusta Craci, non sufficiant honoris Palatia, & vivax virtus Tua, nescia stare loco, alterum querit Orbem, quòcunq; Tuo calcabitur, asper Phasis, Equo: Te vota Civium* Palatinatus Cracoviensis, *& obsequia nostra, seqventur. Ascende auspicatissime, hunc generosum sonipedem, ut in eò devictis Patriæ chimæris, invictus ad clavam Alcides, summa Regni, attingas fastigia. Eâ de causâ infimus Cultor Tuus, ejusmodi fortem ac velocem, offert Tibi Eqvum, ut nonnisi, cum fausto ad Tuos, abeas regressu, Tuoq; Cultori, novam celsæ dignitatis Tuæ, salutatoriæ, victrici clava Hercules, imperes materiem. Qui cuncta prospera, in seram, annorum seriem, Tibi precatur.*

Celsissimi Illustrissimi Domini,

&

Libertatis nostræ PROTECTORIS.

Verus Cultor, & servus humillimus

GABRIEL BOGDANSKI, Officij Castrensis Capitan: Sandec: Subdeleg: Jurat: mpp.

PANEGYRICUS.

PRodit è cineribus oblivionis, cultoris Tui, in faciē Orbis Lechici obliterata Atiā animoſior Pallas, dū GEORGII Pegaſus, extrà Pòëtarum fabulā, doctos, erudito pede, aperit fontes, nempè Gentilitium SRZENIAVAM, Tuum CELSISSIME PRINCEPS ILLVSTRISSIME DOMINE. Sanè dum eximia merita, & dignitas Tua, ſupremum honoris, Palatinatûs Sando mirienſis, promeruêre faſtigium; ad introducendum Te, inclyte Heros, in tam arduum gloriæ culmen, aliud, par dexteritati Tuæ, nequeo ad invenire eſſedum (magnum enim Nomen Tuum, inter Divos olìm Romanorum Imperatores, triumphali toties utebatur curru, in quo, cum AVRELIO DRVSO, ad Lechicum devenit Regnum) quàm, animoſum, ſacratioris Bellerophontis GEORGII, domitorem Chimæræ, ſubminiſtrâre ſonipedem. Procul hinc abſint fumantes Titanis equi ob incendium Patriæ; abſit donum exitiale Minervæ: *Victor Palladiæ igneus artis equus*: Danaorum enim reſpuis dona. Pronus obediat Tibi ALEXANDRI Sarmatici, Genitoris Tui, Bucephalus, qui te apertîs, eius, ad ſumma quævis, provehet veſtigiîs. At quoniam placidis *ventîs, veſtra tument animiſq; vela*, eſt Tibi & aliud honoris iter, Navale; nempè Gentilitius SRZENIAVA, quo

innumeri Aborigines Tui, aureum dignitatis attigêre vellus: Ergò Tu, Argonauta Patriæ, Magnanime Iason, proprijs si libet undîs, ejusmodi ad nata Colchos. *Cui militát æther, & conjurati veniunt ád classica venti.* Assuetus hìc Quadrupes Tuus & profundîs Oceani undîs, transivit jam altum honoris, stetit ad littora; jam faustissimè & onerariam gloriæ Tuæ, cui Numina & flumina favent, appetens, Sandomiriensis Palatinatûs amplectitur portus. Favorabilem Patriæ suæ, SRZENIAVAM Vestrum, Eridanum potiùs dixerim, purpureo de cruore hostium, insignem colore; etenim toties *Phäetonteæ perpessus damna ruinæ.* Mare inquã vel à Purpuris, vel à cladibus hostium, rubrum: tot enim crudeles, dirosq; in libertatem nostram, obruit Pharaones. Fovet terribilia, gentibus malignis, ad devorandas immanes feras, stymphalia monstra: ingentes, Cani Odrysio graves, Crocodilos: Commorantur inibi, exiles licet formâ, eximiæ viribûs, ad remorandas inimicas naves, Remoræ: sola nihilominùs Argo Patriæ, in qua Vellus aureum, inæstimabile, Religionis, Majestatis, & libertatis, conservatur depositum, securè navigat: dolosas etenim hoc mare non patitur charybdes, syrtes & inimica felici ejus navigiô, saxa evomit. Nativum hunc SRZENIAVAM Vestrum, etiam fœcundum Nilum dixerim, qui latèpatentia Poloniæ arua, stagnantibûs munificentiæ suæ alluit undîs, neq; perennem inclytæ Domus suæ sinit arescere gloriam: aut gemmiferum Gangem, undè eximia Nominis decora, gēmataq; honoris, omnium fermè splendorum, emergunt Insignia. Videre licebit in aureis littoribus ejus, Primatiales Mitras, Archi-Præsuleas Infulas, Celsas Senatorum Curules, Cancellariorũ gemmîs renitentia sigilla, Mareschalcorum Scipiones, Thesaurariorum Claves, Ducum Clavas, Aurea Equitum vellera. Quinimò ab alta computando antiquitate, Imperatoriîs & Regalibûs Coronis, Principum quoq; Mitrîs refulgentia ornamenta. Prorsûs, ut *tota splēdet, quæ tingitur Indiá Gange,* sic, tota resplendet decore Celsi Nominis Vestri Polonia. Tantæ opulentiæ hic gemmi-

mi-

mifer Fluvius Vester, ut nequeat secùs, nisi gemmis proferri. Igitur quanquàm addictus, Magno Nomini Tuo Cultor, solam Celsissimæ Domus Tuæ historiam, potiùs quàm Panegyrim (Vestras enim odistis laudes) luci publicæ producere velit audeatq;, gemmas proferre cogitur, quas ex Avito Tuo colligit Oceano. CELSISSIME PRINCEPS. Olim Pyrrhi, annuli gemma, Parnassum cum toto Pieridum Gynæceo, insculptum continuit; Vobis singulis, non sufficiunt singulæ, quibus hic non sufficit Orbis: Quos Ilium, quos Alba, quos sacrum Orbis Caput, Roma, fronti suæ impressos retinet. Verùm tamen tàm amplæ & copiosæ non desunt gemmæ, quæ insculpendis Imperatorum, Regum, Principum, Optimatũ augustissimis sufficiant Imaginibus. Avitum hoc insigne Vestrum SRZENIAVA sive DRUZYNA, vernaculâ lingvâ interpretari videtur ac si via: Exinde Viam Cœlestem viam lacteam à DRVSO nihilominùs Romano ortam, probabiliter dixerim. At, quanta per illam honorum stadia, Celsum Nomen Vestrum, emensum fuerit! dum Vos ex Ilio in Latium, Latiô Albam, inde Ausoniam, ac demũ in vastos Poloniæ campos, velox gloriæ Pegasus, invexerit. Quò, cassidibûs, clypeîs, Trabeîs ornati: Purpurîs Paludamentîs investiti: non nudi nec ignobiles, neq; pedites, sed triumphali curru spoliîs gentium onustô, Celsum Nomen Vestrum intulistis: Veri Athlantidæ, trajectô Illiricô LECHVM comitati estis, cum quo Aquilas Romanas cum Aquilis Polonis copulastis, ac Lechicis campis nidificâstis: Qua propter primitiva hæc Aquila Regni, subministravit illi Magno Duci Sandomiriensi LESCONI, propriam pennam, qua præclari generis Vestri originem & invictam eorum strenuitatem, seræ posteritati, æternis subscripsit monumentis, ejusmodi formalibûs.

Promeruit eum apud nos respectum, strenuus miles MARCVS de Lubomirz *Castellanus Zawichostensis, ex antiquissima*

DRVSORVM Familia progenit' &c.

MARCVS ille, an veriùs Mars Polonus, Sarmaticus Hercules, cui ſerviunt Leones, *Pharetra gravis, ſpolioq; Leonis*, quam non domuit beſtiam, fertiles liberæ gentis, depaſcentem campos? cujus cruore hi inſperſi, quas æternæ gloriæ non germinaverunt palmas? Refulſit in Celſo Nomine Veſtro, gratioſus reſpectus LESCONIS: *Ut ſummos ſpargebat lumine montes, orta dies*: Eminentiſsimi enim montium apices, primam ſolitò, Orientis ſolis, ſpectant & merentur faciem, ac recipiunt fauorem. Ergone Dignioribûs memoranda Virtus eorum, indigeat graphis? dum LESCO inter primos & ſummos memorandus, non jam in codicibus, ſed in clypeis, non ſæpia ſed murice, invicti animi Veſtri impreſsit Typum: Reſpexit ille MARCVM nam præſens ſpectator erat, bellicæ fortitudinis ejus, & meritorum. Non defuit, etiam Imperatorum encomijs, ampla virtutis & gloriæ Veſtræ materies, qvàm RVDOLPHVS I. Romanorum Imperator, indelebili veritatis ſtylô, ipſis impreſsit Paludamentis, & primum Purpurei ſangvinis Veſtri fontem demonſtravit, notificans:

Cùm autem ſtrenuus Comes, ALBERTVS LVBOMIRSKI, PAVLI Palatini Lublinenſis Filius, antiquitate Generis, à DRVSIS Romanis, cum JVLIO Cæſare & OCTAVIANO AVGVSTO Imperatoribus, ſangvine junctus, per veram deſcendentiam à CAJO CLAVDIO & NERONE AVGVSTIS, rectâ lineâ deſcendat: & in Poloniam, pro viciſſitudine temporum, adhuc ante fidem Chriſtianam, inibi co-

gni-

gnitam, Familia hæc ex Illirico delata fuerit, ibiq; primis ſemper honoribus potiebatur: &c.

Hoc tam clari Imperatoris ſole clariùs teſtimonium, tota confirmat Europa: hanc ALBERTVS veritatem ſua probat animoſitate, dum memorabili remo mucronis ſui, Iſtri, Mæotidis, & Baltica domat monſtra, ſtyloq; ferreo inſcribit *cærulei marmora Ponti*, ac pro temere afflicta Republica majorem, hoſtium uiribus, temerat auſum. Vetuſtioris memoriæ auctores Nominis Veſtri, Celſum illud Orbis theatrum, *Divûm domus aurea Roma*, Clariſsimos Heròés, Trojanos, Albanos, *Romanos rerum dominos gentemq; togatam*, æternis monumentis, toti repreſentat Orbi. Iam vero in Lechiæ campos ducit longam non interruptæ lineæ ſeriem, prima Nominis Veſtri gemma, Imperatorum Romanorum IVLII, OCTAVIANI, CAI, LIVII inclyta progenies, AVRELIVS DRVSVS: Hic primus aureo jubare gloriæ ſuæ, illuſtravit vaſtos Poloniæ campos, ac ijs auguſti DRVSORVM ſangvinis, fœcunda ſparſit ſemina, aureaq; Saturni reſtituit tempora. Dominante MIECISLAO, ANTONIVS & MIROSLAVS, miræ virtutis apparuêre Comites DRVSII, inter quos refulſit clarus ſtrenuitate Heros, HERACLIVS DRVSVS, Exercituum Regni DVX, & Filius ejus NICOLAVS Palatinus Cracovienſis. Hunc ſequitur, aut veriûs inchoat ordinĕ auguſti LVBOMIRSCIORVM Nominis, ADRIANVS DRVSVS, primus in Lubomirz hæres, Vexillifer Palatinatus Cracovienſis: tandem IOACHIMVS Caſtellanus Woynicenſis: demum IOANNES & PRÆCLAVS, hic gratiâ Nominis, ille fortitudine præclarus. Inter hæc ſplendoris Veſtri culmina, eminuit Inclytæ Domus Veſtræ, ac univerſæ Poloniæ decus, Eccleſiæ Petra, PETRVS Primas Regni, primuſq; Princeps. IOANNIS Caſtellani Viſlicenſis, & ſtrenuiſsimi herois PRIBISLAI reſplenduit virtus. ALBRACHTVS Succamerarius Cracovienſis, magno No-

mini ſuo, non modicos ampliavit limites. SEBASTIANVS & IACOBVS, Caſtellani ſuccedaneè Sandecenſes, Alpium Palatinatus Cracovienſis, Celſa eminuêre culmina: CLEMENS Caſtellanus Cracovienſis, clementiâ pariter & fortitudine inſignis, qui ſummis honoribus, heroicam prætulit virtutem. NICOLAVS itidem Primas, primuſq; Princeps Regni, togatæ illud decus eloquentiæ, cujus prudentiam, plurimæ ac ſummæ approbant Legationes, tum præcipuè, ſummum pro fide, ſe monſtravit oratorem, cum in Conſtantinenſi Concilio Ablegatus, unô edictô, univerſæ Huſsitanæ hæreſis, depreſsit erorrem: Idem felix in armis, Cruciferis toties incuſsit terrorem, glorioſiſsimus eorum profligator. SEBASTIANVS primus in Wiśnicz Comes Caſtellanus Woynicenſis, qui per victrices Laureas, & virtis gradus, aſcendit, ſummum honorum apicem. Belligeri hujus Numinis, Martialis proles, invictus ad Choćimum Hector STANISLAVS, Ruſsiæ primùm, poſt Cracovienſis Palatinus. Ejus germanus ſangvis IOACHIMVS Capitaneus Dopczycenſis & Tymbarienſis, quorum virtus animuſq; ſummis non impar honoribus, Martis & Minervæ præclara progenies. ALEXANDER Palatinus Cracovienſis, Hic ob eximia merita ſua dato, à FERDINANDO III. Romanorum Imperatore, S. R. I. Principis, celſô refulſit titulô. Prorſus gemmea hæc Domus Veſtra, Celſiſsimarũ Familiarum, centum Phrygijs innixa columnis, ſublime immortalitatis Palatium: Auguſtum veriùs dixerim honoris ſacrarium, fulgentibus gloriæ ſpectatiſsimum Aris, Vivis veterum Patrum ornatum ceris. Porro quiſquis prima alti honoris Veſtri, curiôſo mentis oculô, metiri velit faſtigia; innumera honorum ac Miniſteriorum in Romano æquè ac Polono Senatu, inveniret Veſtigia, & celſæ Dignitati Veſtræ, illud Pòëtæ, ſubſciberet Elogium:

Hic, genus immortale manet, multoſq; per annos,
Stat fortuna Domûs, & avi numerantur avorum.

Iam vero, cum ampla literarum volumina, imò nec tota Orbis figura, ingenti Veſtræ ſufficiat gloriæ; dabit veniam ejus Dignitas, exiguæ paginæ, quòd tam ampla

ne-

nequeat capere & ediſſerere Nomina. Non enim immenſam magnitudinis Veſtræ molem, impar tanto oneri, ingenij cymba proueheré, imò nec Celſitudinem attingere auderet, niſi Veſtram ei ſubmittere dignaremini benevolentiam. Vnde, liceat ex millenis unum, inter ſacra Divorum Conſortia venerandum, præſentis ævi memoriæ, præſentare AVUM Tuũ, CELSISSIME PRINCEPS. Stat magni Nominis Exemplar STANISLAVS: cujus præclaræ virtutis Laus, cùm ſit perennis, nunquam occidet. Sẽper enim, ab ortu ſuo, micabat toti orienti fulgur, & vel ipſo, clariſsimo magni exercituum Ducis nomine, æternâ eclypſi, Ottomanicam obſcurabat Cynthiam. Palatinus ille & Generalis Cracovienſis, in Toga & Sago fortis conſiliorum columna, firmum ſtantis in ſæcula laudis, monumentum, STANISLAI nomen, Regibns olim ob veritatem grave, Legibus & Religioni admodùm ſvave, Libertati plauſibile, per quod olim ſtetit Polonia. Horrendum illud Sarmatici Iovis fulmen, præcipuè in expeditione Choćimenſi, illuſtre, præſentis ævi nondum extinctum memoriæ. Spectavit Oſmanus Turcarum Imperatot, grande LVBOMIRSCII Nomẽ, quod ſupportare nõ poterat: nõ caruit tunc forti æmulo, miranda Ducis Virtus, cujus ingens animus, quanquàm longè impari, phalangum ſuarum numerô, validiſsimos Ottomani, ſtravit & diſsipavit exercitus. Elata inſolentibûs triumphîs tyranni arrogantia, ardua cornigeri ſideris, ad augem, noſtrâ diminutione, extulit cornua; mox Polonæ Aquilæ, indefeſsis attrita ſunt alis, denſaq; armorum & animorum nube, Orienti, tacitæ ſilentium impoſitum noctis; dum Lechiadum Dux, Imperatori Orientali, occaſum imperavit. Decumanô ſanè fluctu, Oſmani potentia, triſti diluvio, apertos Poloniæ inundavit campos, jam jam periclitabatur fidei Chriſtianæ & libertatis argo: Dux noſter animoſus navis Rector, *permittens omnia fatis fortunæq; fidens*, pro conſervatione Patriæ, vitâ propriam *Martialibus credidit auſtris.* Cujus virtuti, eo temporis, illud elogium Pòëtæ, Romano Duci adſcriptum, ſervire cenſerem.

Nulla relicta foret Romani nominis umbra,
Ni Pater hic Patriæ, *jam jam ruitura subîsset*
Pondera, turbatamq; ratem, certaq; levasset
Naufragium commune manu.

FeroxMachometes sulphureum spiravit martẽ, Mars Polonus LVBOMIRSCIVS, nativas opponens undas, temerario fervori ejus, propinavit mortem. Tumidus Osmanus, in perniciem unius Europæ, ex Asia, Africa, America, tumultuosum in Poloniam induxit exercitum; at brevî timidus, inducias petijt, dum ad Chocimum plura, quàm centena Turcarum profligantur millia. Vndiq; in exiguas Sarmatiæ Copias, turmatim irruit hostilis exercitus, at, penes prudentem dispositionem circumspecti Ductoris, omnẽ cladem fata vetârunt, muriq; vices fortuna tuebatur. Prorsus numerosissimi barbarorum exercitus, majori viribûs suîs, superati animo. Ejusmodi itaq; Ducis dexteritatem, eò magis ipse mirabatur hostis, quò diutius morabatur, infaustum colendo Bellorum Numen. In quanta tunc erat æstimatione Patriæ, summa Ducis virtus! non ùt filio tum, sed ùt Patre gaudebat, atq; de eò, velut præsidio inexpugnabili, Religio, Majestas, Libertas, ac universa Europa luctabantur. Postquam autem verior hic Alcides, ejusmodi immania Erebi domaverit monstra: ex templo virtutis & honoris cumulavit in unum, fortunam, ut eam Deo servatori sacrificasset. A castris conversus ad astra, ut armipotentem prædam, omnipotenti Numini in victimam litâsset. Cujus sacrificij gratiâ; in angulari lapide, æternum stantis STANISLAI nominis, gemmeas Oceani, non lateritias: Wisnicensem, Podolinecensem, Cracoviensem, Lubartoviensẽ, erexit & dotavit Ecclesias, præciosissimus ille, LVBOMIRSCIANI Ponti, Vnio: cujus: *nõ vilior unda promeruit gentis seriem.* Alterum, æquali animositate secundùm, Iovis tonantis fulmen, non dissimilis Genitori suo, Athlanti Sarmatico, filius, Claviger succedit Hercules, vel ipsâ memoriâ invicti Patris sui (nisi eum paria virtutis comendâssent acta) terror hostium, GEORGIVS E-

ques:

ques: Supremus Regni Mareſchalcus, Scipio ille Africanus, imò vel ipſo animoſior Scipione. Campi Dux & Generalis minoris Poloniæ, quam in majorem evexit, Belli fulmen, Carthaginis horror, in ſago Gradivus, in Toga Traſeas. in ſolio Iuſtitiæ Licurgus, Præceptis Numas; Conſilijs, graves ſuperabat Catones. Ius gladij, benevolentiâ ingenitâ & delicato moderabatur animo, quô Majeſtatis ſuſtinebat authoritatem, & publicæ providebat ſecuritati. Sanè validiſsimum erat religionis columen, Regum & Regni præſidium refertiſsima arca legum, deliciæ Civium, ſolamen & refugium egentiùm Nobilium. Carebant illic excubijs, ampla liberalitatis oſtia: veſtibula munificentiæ pandebantur, petentibus, cor propitium: hoſtium ferrô, civium munificentiâ victor: Clypeus adverſitatibus Patriæ, expoſitus: bellicæ virtutis ardor: Martialis laboris exemplar: flagellum barbarorum : belli fortuna & robur inexpugnabile: me hercule memorandus ille, per funera Heroum populator Ilij Agamemnon, mille Ducum Ductor, at unius ſolùm hoſtis, miſerandæ Trojæ, oppugnator, in cujus expugnatione terra mariq; integrum conſumpſit decennium, & muralem non aſſecutus Coronam; donec per fabricatas inſidias, ſimulatis Deæ Palladi muneribus, nō arietibûs ullîs, ſed Equô Trojanô, iniquo Marte, altæ mœnia Trojæ agitârit: Si tum temporis, contra Ductorem noſtrum LVBOMIRSCIVM, mille ductitaſſet exercitus, haud dubium, de æquo, ſuam illi ceſsiſset gloriam. GEORGII enim Equitis, generoſa virtus, velociori curſu, at graviori conatu, promeruit Caſtrenſem, Obſidionalem, Civicam Coronam; dum uno plane ictu & tempore, tot hoſtium genera, ex Fortalitiis, Vrbibus, Villis; expulit, fugavit, profligavit. Objecit illi fortuna multiplicem, hoſtem, Septicipem Hydram: Verùm hâc ſparthâ Major invicti Herois animus: impenſiùs enim ſibi gratulatus eſt, tantum gladiô ſuô, benè de Patria merendi, offerri ſegetem: Infremuit violentus Ferarum Rex, Balticus Leo ! ab extremo Aqvilone, à ferreis oris, famelicus, irruit apertos, Polo-

campos, Auream libertatis nostræ & opum messem, râbidîs calcat & diripit unguibûs: circuit quærens quem devoret: invenit gratam gustui suo escam, pingvem feram: ferâ inquam Civium discordiam! quâ abundè repletus ac saciatus, in dies augebat, vires suas; ad extremum, Aquilam devoraturus Polonam: At qui Galli cantum exhorrescere solet, extrà miraculum, impavidîs strenui. Ductoris, opprimitur Aquilîs. Faucibûs belli patulîs, ingentem Pyrij fumum evomit, cæcaq; fumalium, Patriam obducit nocte: Quis tum, diem reddidit Phosphorus? Oritur manè, *immensi lux publica mundi*, è LVBOMIRSCIORVM Ponto, Martiali fulgore, armatus: Titan, atram dispellit caliginem. *nudiq; seges Mavortia ferri, ingeminat splendore diem.* Exagitauit uicina, sed brevis Pannoniæ potentia, Transylvanorum militiam, quorum temerariam potiùs dixerim malitiam: sed quos in Poloniam Tokainum impulit merum; eos, proprio ebrios cruore, gravis inde expulit mæror: Insano hùc devecti ab Austro, turbido hinc, ejecti ab Aquilone. Suscitavit Chmielnicius Lernæi Cosacorum serpentis, renascentia capita: Verùm ea, in domiti HERCVLIS LVBOMIRSCII, uno ictu, Domitrix sopivit Claua: Perfidæ Moscoviæ, ingratus moscus, pestifero odore suo, mites Poloniæ repleverat auras: Verùm & hæc pestis, â tormentario evanuit pulvere. Hæc tamen Gens, vulgò, *fraudibus insidiosa malignis*, vel exinde summam obtinet gloriam; quod ad æternam memoriam, clade suâ ad Cudnow mirabilis, perversis capitib9, mucrone LVBOMIRSCIANO resectis, immēsis cumulis, excrevit in tumulos, & ex ingenti cadaverum mole, inexpugnabilem Catholico Orbi, struxerit vallum. Frigidus Boreas, æstivis Lechiæ floribus, gelida Scytharum, spiravit arma; quæ mox ab ardore igniti tabuere Martis; & errantia illa, adinstar voracium corvorum, immensa agmina, Vasto LVBOMIRSCIORVM, dederunt Nomina Pontū. Tantum erat, illius indomiti Alcidæ, infracti animi, & viriū robur, tantus roboris ejus hostib9 terror; ut conspecto imminenteq; eô: *Montesq; moveri Cœli ferumq; Athlanta putarent.* Videritne

hostem

hostem an vicerit, difficile cognitu erat, adeò ad victorem suum festinante Victoriâ, ut nulla hosti se erigendi mora esset: maluitq; hostis ejus adorare vires, quàm eas adoriri meruitq; timeri, non metuens. O splendidum sanè Lechiadum decus! o pretiosissimam, Oceani LVBOMIRSCIORVM gemmam; in qua totum pretium Regni continebatur! Non induco plenè omnia; nam angusto & incapaci tantæ amplitudinis, folio, Augustum olim STANISLAI, Supremi Regni Mareschalci Nomen, cujus, etiam ævi præsentis memoria, testis fidelissimus; utpotè potentissimi, sapientissimi, splendidissimi, virtutibûs, Eminentia, judicio & opibus, Europei Salomonis. Vivum ille erat oraculum; à cujus consilio, salus Patriæ pendebat. Verus Orbis Lechici Atlas; cujus humeris, Religio, Majestas, & Libertas innitebatur. *Quem non ventura silebunt lustra, nec ignota rapiet, sub nube vetustas.* Celeberrimum illud, accrescentis gloriæ Vestræ Nomen, in IOSEPHO CAROLO, magno itidem vel à supremo Caduceo Regni, scipione: vel à contexto Purpuræ suæ, Regum & Principum sangvinis murice, præterire nequeo: Splendidissima hæc, in Toga & Sago, meritis in Patriam, insignis SRZENIAVÆ gemma, licet in prole utriusq; sexûs immaturè extincta, lucet nihilominùs, in Serenissima Regum Corona, resplendet in Celsissima Principum SANGVSCIORVM Mitra: Vbi, gloriæ ejus: *Dum sidera poscent, semper honos, Nomenq; decus, laudesq; manebunt.* Nequit satis exigua penna, celeberrimi Exercituum Ducis, ac summi Reipublicæ statoris HIERONYMI AVGVSTINI, consiliò & armis semper Augusti, generosa Acta & eximia in Patriam merita, tenui imprimere chartæ: hæc enim uti recentia, ità nedum animis & memoriæ, superstitis spectatoris, exoleta: nempe quàm amplè dilataverit, per universam Europam, Inclytæ Domûs suæ, & Poloni Nominis famam, etiam toti non incognitam soli. Vix placida cum Musis deseruerat otia; vix Patriæ oritur sidus; jam provectus in meridiem Titan, Galliæ lustrat, & illustrat oras. Quò, à Serenissimo olim IOANNE

III. Rege Polonorum felicissimo & invictissimo Legationis publicæ functus charactere, in Patriam redijt, cum eximiæ dignitatis titulo: nam à Serenissimo Rege Galliarum LVDOVICO, aureô redimitus & decoratus Torque. Tandê Mareschalcus Curiæ Regni, splendidum Luminare, prævivit faustissimè, Serenissimo illi coronato Poloniæ soli. Sydus sanè scientia bellica & armis faustissimum: nam cùm fatali, caligine obducta lucem poscebat Austria, summo ille tum claruit candore; dum, Machometanæ Lunæ, elata cornua fulmineis atterebat telis: ac forti manu, cadenti cũ Vienna Austriæ, cooperabatur levamen. Concredi sibi exinde dignus, supremi Thesauri Regni Claves, qui obsequijs Patriæ, ingentem, vitæ suæ crederat, Thesaurum. Tandem heroica virtus illius, præstantior aurô, à clavibus Thesauri, recessit, Ducale regimen invicti ad clavam Herculis, Supremi exercitum Regni, dextrè capessit. Ac dein, post longas circà Rempublicam curas, & martios labores, Castellaniæ Cracoviensis veneratus Curuli; ùt hic venerandus Patriæ Pater, lassatus assiduîs laboribûs, in supremo Senatûs quiesceret solio: Nihilominùs, cùm grassanti, in Regno Poloniæ, resistendum erat hostilitati, prætulit arma Togæ: Effrenatum Balthidis frenat Leonem, ac sævire asvetam, servire docet feram. Moschorum sinè clade Victor; quos, etiam pro impositis Patriæ oneribus, exotici Martis mandavit funeribus. Sanè validissimum erat Regni præsidium, cui Patrià, quod olim Pompejo, illud Pöétæ inscribit elogium:

Clarum & venerabile Nomen.
Gentibus, & nostræ multùm quod proderat Urbi

Illustrat mentis aciem, cunctæ posteritatis, dignus memorià, lucis publicæ candor, & universæ Lechiæ solatium splendidissimus Oceani Vestri unio, quem hucusq; indeficientibus lachrymarum rivis, afflicta deplorat Patria. Poloniæ Poliq; amor Seraphicus, FRANCISCVS, Capitaneus Olsztynensis. Præstantissimus, ille, magnæ expectationis Heros: primam meruit qui laude coronam: conspicuis

vir-

virtutum omnium, ornatus dotibus. Cujus eleganti formæ, addebat gravitas Majestatem, magnanimitas, robur & præstantiam, inerat illi juxta illud Poëtæ.

Læta viro gravitas, mentisq; amabile pondus,
Quò possis visâ, dicere Numen inest.

Solabatur Hic non dubia spe, cunctorum vota: & nisi eum invida è vivis præcociter sustulissent fata, haud dubie, ad summos eum honorum apices, totius Reipublicæ extulissent favores: quos ingenuâ merebatur probitate, ingenita sibi captabat benevolentiâ. Langvebat illius vivida absq; æmulo virtus, summis non impar viribus: tandem dum strenuâ velocitate, provocatus, agit: dolonè fatorum, an casu? animam egit. Nihil ipsi de bonis animi & corporis defuit, præterquam vita prolixior, quæ magnis est sæpe negata viris. Cui meritò exclamat, Patria mærens.

O fatum! ah! nostræ cecidisti gemma coronæ.

ALEXANDER ille secundus nā fortunatissimus: Parnomine, superior gloriâ, Macedone: magnus & amplissimus, nam amplitudine dignitatis suæ, implevit Orbem Lechicum: in Patriam emeritissimus, Viribus & consiliô præstantissimus, toties in Tribunalibus Regni justum Aristidem, probatum in Comitiis Regni, præferebat Catonem, summis non impar honoribus, Capitaneus Sandecensis, Genitor Tuus CELSISSIME PRINCEPS, non levem calamo cultoris sui subministrasset materiam, nec, procul dubiò, latior longiorq; summi honoris ejus deesset tractus, nisi invido pollice, avaræ Parcæ, ulterioris vitæ ejus, retraxissent filū. Cujus mens cognata Polo, non contenta terrenîs, nam magno animo Ejus, unus non sufficiebat Orbis, cœleste quæsivit, & invenit Regnum; quo animam intulit, animum verò cum immortali Nominis sui fama, Tibi reliquit. Quinimò & hunc animosum Bucephalum, quem Tibi, fidelis & jurata manus cultoris Tui porrigit, ad usum reliquit; in quo supremi honoris decurreres Olympia. Tantum Heroëm, digna Patre suo, insequitur dignissimæ Prolis assistentia IOSEPHVS Nominatus Episcopus Chełmensis,

& MICHAEL Dapifer Regni, Tibi germano ſangvine jũ-ctí: quos ſummæ pietatis comitatur Heroina, ob eximias virtutes, & ſanctitatem vitæ, præſenti ſæculo manifeſtam, inter Divas numeranda, ANNA Palatina Poſnanienſis, Soror Tua dilectiſsima. Nec deeſt celſo Generi Veſtro, etiam invincibiliũ Amazonũ, celebris gloria, ſingularis verò in Illuſtriſſima olim ANNA Caſtellana Cracoviẽſi Suprema Exercituũ Regni Duciſſa, forti Camilla; quæ cum Magnorũ SIENIAWSCIORVM Cynthia, perenniter lucebit. & Illuſtriſsima Proles ejus, olim memorandi Sarmatici Hectoris DENHOFF, Campeſtris M. D. Lithv: Ducis, Palatini Połocenſis, Conſors dilectiſsima, ſuperſtes: verè Mulier fortis: cujus virtus & dignitas, Sereniſsimis digna coronari ſplendoribus. Spectat ad hanc gemmeam ſeriem, decus illud inſigne, Celsissimus Sac: R, Imp, Princeps Illuſtriſsimus olim GEORGIVS Palatinus Cracovienſis, Tibi par, celſitudine virtutum & Nominis: Dux æquitatis, & Equitatûs Cracij: cujus innata ſapientia, meridiana clarior luce. Æqualiter enim Togatæ prudentiæ, ac chalybei Martis, ſemper clariſsimis coruſcabat, & coruſcat ſplendoribns. Rigidus erat pro legibus Patriæ Cato: cui, etiam Facundus, in comitijs Regni, Tullius: & Æquiſsimus ad aram Themidis facile cesſiſſet Ariſtides: Fortunæ ejus, & ſcientiæ bellicæ fidens, libenter, iviſſet ſub ſua ſigna Mavors: equidem, inerat illi, par ingenium Caſtriſq; Togæq;, Quanta verò Principi illi ingenita erat liberalitas? depredicant illam, tot ſacræ ad ſuperos, Religioſorum voces, vel maxime, tot corda & ora ſeraphica, & in remunerationem gratiarum, concitant hucuſq; propitia Numina. Elevat vocem ſuam, eminẽs Clari-Montis Częſtochovienſis Regio, quæ ex ſingulari pietate, Ejus impenſis & ſumptibus, quotannis inſtitutis, ſplendore ſuo clarior eluceſcit. Hoc enim, frequentiſsimæ conſervationis Propugnaculum, cum, majori expar-te, ope ſuâ muniverit: Sub forti Matris Dei Præſidio, ipſe ejuſdem honoris, propugnator extitit, unde, ſublimem, felicis æternitatis, aſcendit olympum. Dignus tanto Prin-

ci-

cipe animus, & fortitudo uix prædicabilis, quæ, etiam in juvenili ætate, semper matura & virilis eminurat. Lusus erat olim, tanto Heroi, belligeris cum scythis, cruenti certaminis usus, eorumq; toties, poscente Podoliâ, & extra fines Regni, reprimere & effringere vires. Districtum ensem, Turcarum superbis aptabat cervicibus, tingebat cruore, hebetabat, cidaribus. Quorum sangvine, non solùm nativam, verum etiam exoticam, inspersit tellurem, virentes ei, gloriæ germinaturam palmas. Hæret in recenti memoria funestus ille, in Regno casus, immo vix non fatalis, Religionis & Libertatis occasus: sed quanta sub eo virtutis & roboris ejus, exorta gloria! Domestico furore exarsit discordia fratrum, & jam:

Viribus extincta leges, venerandaq; jura,
Ipsaq; libertas, armis oppressa nefandis:

Hic, infractas Maiestatis & Libertatis leges, immotus tenet Cato: Sulphureis Ætnæ fluminibus, Poloniæ inundantur campi, sævit profluus in Patriam ignis: conjuravêre in nostram perniciem exitialia fata: ardentibus Vesuvij flammis, conspiravit hostilis furor: rapidus à septentrione furebat Aquilo, Vulcanios suscitavit ignes; Incolas Regni squallidis suppressurus fumis: internæ confusionis, densam extendens nubem, diem felicitatis Polonæ, squallentibus obducere nitebatur tenebris. Cujus tum, validam experta libertas oppressa manum? Quæ unda, æstuantibus sufficiebat Vesuvijs? nisi nativus LVBOMIRSCII Srzeniava. Quis illustrius atram Martialis caliginis, dispulit noctem? nisi syderea DOMINICI fax. Quis promptius, discordes Civium Regni, conciliavit univitq; animos? nisi fortunatus, nativi Oceani LVBOMIRSCII, Vnio. Sanè, hoc solo, *reddita libertas Bruto Prætore videtur.* Pius ille in Patriam scævola, Martis mortisq; sprevit pericula, ut Matris suæ, Patriæ, conservasset vitam. Non, Martiali ardori ejus, glacialis obstabat bruma; qui rigidissima frigora & graves tulerat nimbos, assvevitq; pro quiete Patriæ, *in clypeo vigiles producere noctes.* Non, provectam ætatem Ejus, à bel-

 licis

licis laboribus, veteranus excusavit Mavors; cujus sub galeis Mavortia canuit ætas. Nullo respectu commodi privati, cum dispendio propriæ salutis, publicæ saluti, totum vitæ suæ, consecravit ævum. Iam sævus, è Patria, Svecus, hinc sulphureo fugatus, illuc, ingrato Moschoviã, invectus odore, disparuit. Auxiliares, seu potius, exiliares, justo Marte sedatæ copiæ: undiq; tutam vidimus Poloniam, gravatasq; tot calamitatibus, in spes meliores, assurgere mentes: *Tam diro fœderis ictu, parta quies, & terris pax alma refulsit*: Cum antiqua Christianorum pestis, conjurata, sceleratorum Torunensium, turba, jam pridem, Catholicæ inimica pietati, pacem exosa, legis & fidei turbatrix, de qua Pòéta quidam:

Hac duce Vastatos, luget Germania campos:
Hac duce, civili madverunt sanguine muri:
Anglia sive tui, Gallia sive Tui.

Cum, inquam, multiformis, hæresis detestandæ, Chimæra, nova Religioni Catholicæ, machinatur bella; Quis eam domuit Alcides? invictus Sanè Heros GEORGIVS.

Bellerophon, ut fortis Eques, superàre Chimeram
Et Licij potuit sternere monstra soli.

Non degenerem Eum, Romanorum Imperatorum Nepotem, nec vanum S. R. I. Principis nomen, fidei Romano Catholicæ, principalissimum Zelatorem S. Mater Ecclesia, filium, AUGUSTISSIMA CÆLORUM IMPERATRIX & REGINA POLONIÆ, honoris sui, agnovit propugnatorem. Probavere laudabilissimam ejus virtutem, magis quam, in ferro, rigida sceleratorum Torunensium saxa; quibus sicut intumuerunt, ita ob memoranda exempla, ad posteros missa, semper Dijs hominibusq; exosa flagitia. Stupeant sæcula, quàm onusta erat, æstimatione sui, pietas Principis, erga DEVM & Deiparam; ut eam ad lancem justitiæ, aureis, impietas, vincere nequierit ponderibus. Ibi clementia pijssimi Principis, imitata zelum, justi Vltoris, qui pluris reputaverat justitiam, quam victimam. etenim. *non mentibus ulla*

Conciliare jugum, generosis munera possunt.

Plura de tam magnanimo vindice, honoris Mariani reticeo: sufficit, hanc nativam Oceani Vestri gemmam, dignum, Reginæ Cœli, coronæ decus, extitisse. Quem pro ejusmodi obsequijs, Eadem Imperatrix, procul dubio, cœlesti donavit coronâ. Superstiti dignissimæ Proli Ejus FRANCISCO & ANTONIO, quorum Tu CELSISSIME PRINCEPS, Te Patrem geris, se Matrem benignissimam, ac protectricem, præstitura. Ex quorum optima indole, indubitatum universæ Lechiæ, ac Celso Nomini LVBOMIRSCIANO, apparet solatium. Non desunt adhuc Tibi CELSISSIME PRINCEPS, plures animatæ gemmæ, alta Patriæ decora, è nativo Tuo emergentia Ponto: Gaudet dulci munere vitæ, Patriæ salus, CELSISSIMUS THEODORVS, uti Ethymum sonat, à DEO datus; cum quo omnes cœlitus descenderè virtutes. Non degener magni olim Genitoris sui STANISLAI, Supremi Mareschalci Regni, Lechicus Scipiades, sapientissimi ilius, præsentis ævi Salomonis, inclyta progenies: in cujus celso animo & candido pectore, in prædita formæ magnificentia, alta cum pietate probitas, placidum sibi eligere sinum: in coronato cunctis qualitatibus, Mitrato animo, Divinæ pars mentis; prudentia: In Heroico pectore, magnanimitas & benevolentia: in dextra fortitudo: in sinistra munificentia, firmam sibi fixere sedem: Plantæ ejus, firma Regni & Imperij basis; enim verò, hic indefessus Athlas, non tantùm Orbis Lechici, verùm etiam Imperij molem, ad campestrem Sac: Cæsareæ Majestatis Scipionem, validis supportat humeris. CAPITANEUS SCÆPUSIENSIS, murus aheneus, & in expugnabile Regni, antemurale. Qui penes qualitates Principe dignas, penes eximia merita sua, nullum ambit honoris fastigium, solâ pro summis dignitatibus, contentus virtute. Sequitur sanè Ideam Celsissimi Genitoris sui, eo programmate expressam, in quo magnum ejus Nomen & Cognomen latitat: *Ambiens nulla Regna posco, Laus mihi & Regnum sit, sola virtus.* Recenti impressa memoriæ, Principis istius animositas, celari nequit. Quantâ videlicet cu-

râ & ſolicitudine, quanto ſudore & impenſis proprijs, viribus & ex ercitu, ingruentem toties, devaſtantis Patriam hoſtis, repreſsit impetum. Submontanam Regionem noſtram, à rapina liberavit.: In expeditione ad Comitia Regni Grodnenſia, proxime præterita: Legationis Publicæ, centoculus Argus; Verè primus, inter tantos Proceres Regni Nuntius, primam meruit Palmam, quem centena ſequebantur vota, ſiquidem rigidior pro legibus Patriæ Cato, millenis Patriam, ſubducere nitebatur periculis. Pa-eminentiæ ejus, nã proximus ſangvine IOSEPHVS Palatinus Czerniechov: albo tamẽ notandꝰ calculo, Patriæ decus: cujus immortalis fama, in immenſum creſcet. Celsissimi S. R. I. Principes: GEORGIVS Supremꝰ Exercituum Regni Notarius, Sacræ Regiæ Majeſtatis Exercituum Generalis Sarmata Gradivus. IOANNES gratiâ Nominis, cunctis acceptabilis, fortitudine, hoſtium terror, Eques Melitenſis. ALEXANDER magno animo prævalens Macedonem, Enſifer Regni, illius enim HIERONYMI AVGVSTINI, Caſtellani Cracov: Supremi Exercituum Regni Ducis, Pompeij Lechici, ſemper auguſti: non degenerer Filij. æqualibus digni laureis. CELSISSIME S. R. Is PRINCEPS PALATINE Sandomiriensis Iam defacto deficiunt debiles, & tanto ponderi, eximiæ dignitatis LVBOMIRSCIANÆ, impares cultoris Tui Vires: cui nec ipſe ſufficetet Athlas: neq; peritiſsimus ſtagirita, capere poſſet, altum antiquitate, dilatatum honoribus, Eurippum Veſtrum. Etenim Auguſtis Nominibus Veſtris, anguſta nullatenus ſufficit pagina; ſuper quorùm geſta factaq; deſudant ſæcula, nec ampliſſimi ad conſcribendum ea, ſufficiunt, charcteres, ut poſſint per eos deduci, non in terrupta ſerie, tam, Celſiſsima; Illuſtriſsima, quam etiam Sereniſsima olim DRVSORVM, longioris tum proximæ Lineæ, Nomina: Imperatoria, Hispaniæ, Portugaliæ, & aliorum Majeſtatùm: Throni Polonici, ex Sereniſsimis MICHAELE I. & IOANNE III. tum Bavariæ, Neiburgensi, ac aliorum exterorum. WISNIOVIECCIORVM, CZARTORISCIORVM, RADIVILIORVM,

O-

OSTROGSCIORVM, ZASŁAWSCIORVM, ZBARASCIORVM, SANGVSCIORVM. ac aliorum Regni & M. D. Lithv: Ducum. KORECCIORVM, POTOCCIORVM, SIENIAWSCIORVM, TARŁONVM, LIGĘZARVM, ZBOROWSCIORVM, MNISCHORVM SZEMBEKORVM, SAPIEHARVM. à Drusis STADNICCIORVM, CHOTKIEVICIORVM, DANIŁOVICIORVM, OSOLINSCIORVM, WIELOPOLSCIORVM, KONIECPOLSCIORVM, CHOMENTOWSCIORVM, CZARNKOWSCIORVM, LIPSCIORVM, MAŁACHOWSCIORVM, OPALINSCIORVM, RZEWVSCIORVM, BRANICCIORVM, HVMIECCIORVM, TENCZYNSCIORVM, KOMOROWSCIORVM, IORDANORVM, POŁVBINSCIORVM, RYBINSCIORVM, PRZEREMBSCIORVM, OLESNICCIORVM, ZŁOTNICCIORVM, primarũ Regni & M. D. Lithv: Familiarum, utriusq; sexus, gemmis Oceani Vestri, inquam, intertexta numerare decora & cœlestia, cõvocare Numina. Nihilominus, reduxi Tibi CELSISSIME PRINCEPS tot, tantaq; Nomina, quibus Europeus vix sufficit Orbis. Inter quæ, eminet ac refulget, insignis splendor dignitatis Tuæ, immo: *Dispersa per omnes, & quæ divisa beatos; Tu collecta tenes.* Eximia virtus Tua, jam pridem supremas promeruit Laureas: Tecum enim illæ, ab ipsa crevere adolescentia, quas sparsus cruore hostium, Bellonæ germinavit campus, easq; non modo nativum Tibi, verum etiam exterum, parturijt solum. Probat hanc veritatem, toties experta dexteritatem Tuam, periclitans Austria, ac totum Romanum Imperium, Strenuissimi, Generalis Velt-Mareschalci, Fxercituum Sac: Cæsar: Majestatis Athlaticis ejus suffultum viribus. Quid vero de Te Patria? sanè, consilijs Fabium, pietate Numam, clementiâ Nervam, triumphis veneratur Emilium. Sat, heroicas vires Tuas, expertus hostis, amorem Patria: per totum enim Evũ Tuum, non absq; discrimine vitæ propriæ, ejus subveniebas saluti, moras nescius in periculis: nullam expeditionem, nullum bene merendi tempus neglexisti, annosq; & dies Tuos, victorijs annotasti; scythica toties à finibus Patriæ, repellendo agmina, Ottomanicæ quoq; superba cor-

nua Lunæ contriviſti. Nuſquam animoſus GEORGII vacabat ſonipes, ubiq; interritus, etiam multiformem Coſacorum profligando Chymæram: Balticum toties, impiger, aggrediebatur Leonem. Irruere in apertos Poloniæ campos, ignitæ Svecorum copiæ, ſeges undiq; ferri circumfuſa micat: Tu exiguo licet numero, ſub Tuo regimine, militantium virorum, at magno animo & robore, ſuperaſti eorum potentiam virium, & cum exili manu, hoſtis Te viribus æquum, elatum inimici, experiebatur caput, dum ingentia, ignitaq; infeſti Teutonis, extingvebas agmina. Adèo ut Te perſequente, nihil profuerit hoſti, etiam munitis hæſiſſe locis. Profectò venatrix Aquila Polona, optatiſsimum tunc nacta lactatorem, quâ non vilem ſequebaris prædam, Sveticum nempe Leonem. Invicto virtutis zelo, ipſa provocabas pericula; bellandi enim, vincendiq; Tibi, par erat poteſtas: cædere maluiſti cum paucis, quam cadere cum multis: *adeò generoſis animis tuta ſunt diſcrimina, ſive cadant, ſive vincant, æque glorioſi, ex ipſiſmet incommodis; commoda quærunt immortalia.* Amplum hoſtilem exercitum, tantis ſtringebas anguſtijs, ut nullus eorum quieti: ſecurus fuerit locus: nam accidebat plerumq; ut etiam obſidentes, a te obſiderentur. Tantus aderat Tibi Bellonæ ardor, tantuſq; labor, ut ad quævis ardua, primus, te ſequentibus, exemplo præiveris, adeòq; de Te Claudianus narrare videtur.

Ipſe manu ſua, pila gerens, præcedit anheli
Militis ora, pedes, monſtrat tollerare labores,
Non jubet - - -

Omnia pericula & incommoda, profide, Rege & Lege, virili animo, & prompte ſubijſti. Et dum Tibi, tergemini ad debellandum deſunt Geryones, Dianæ ſtudijs addictus, exemplo Sacratioris Herculis GEORGII, nocivos perimis Dracones, Nemeos ſuperas Leones, Arcadios jugulas Apros, immanes devincis Vrſos, alipedes intercipis Cervos, præcipites, canibus damnas, Damas: & alte volantes, veloci ſagitta, deprimis ſtymphalidas. nuſquam otioſus.

Mar-

Martialia opera Tua, non modò, sangvineo murice tinctas Purpuras, ac pro tranquila quiete, post Martios labores, primas in Senatu promeruere Curules: Verum heroicus animus Tuus, paratum semper nutibus Patriæ, promptior conscendere equum. In sangvineo Bellonæ campo, dum olim metabaris castra, altas jam metiebaris dignitates, ac immortalis gloriæ, auream metebas segetem. Singularissimus S. Themidis cultor, Capitaneus Sandecensis: eodem Iustitiæ asiistis, quo Religionem Majestatem, & libertatem, tueris, ense. Quanta vero Tibi, Te Principe digna, inest liberalitas? nec mirum: abundans enim Nilus Vester est, plus septem, pro commodo publico, aureis diffunditur ostijs: ideoq; ditissima Luculli æraria, Crassi gazas, Pigmaleonis amplos, demergit & superat loculos. Audivimus, persæpe, etiam notabilia exaruisse flumina; at sacros fontes, munificentiæ Tuæ, semper scaturijse nouimus: nusquam deficiunt, nisi illis deficiamus. Adèo exuberantes liberalitatis Tuæ, effundis rivos, ut ex illis, gementes, gemmas: & inopes, in aridis penuriæ campis, auream ex profusione beneficentiæ Tuæ, colligant messem. Quis tibi faucius in Castris obviavit miles, quem salubres Tuæ, sanitati, non restitúerent aquæ? Quis sitibundus, domi, pauper; non, dulcem inde hausit potum? cui vicino & amico, dulcis, hinc, non propinetur salus. Facesce calame, ad piorum Religiosorum clarissimas ad superos voces, qui de claritate muni ficentiæ hujus, juvantur: ad sonum Ecclesiarum, quæ gemmis, ejusmodi divitis Oceani, decorantur. Fluit undiq; avitus SRZENIAVA Vester, non tantum gemmis & auro, verum etiam svavi, omni ex parte mero: hinc vicinum Hungariæ, inde Mareoticum, Massicum, Falernum, Surrentinum, Cœcubum abunde adest vinum, nec deest lacryma CHRISTI, & syculæ dapes, quæ Domi, in Comitijs, Comitiolis, ac in omni publica luce, laute diffundantur, ac opipare præparentur. Quanta verò generoso pectori Tuo, etiamsi fractus illabatur Orbis, inest æquanimitas? non Te, mente quatit solida Auster, aut fulminantis, magna

Iovis manus: nulla prorsus terrestria damna, celsum Tuū condemnant animum. Quid Tibi amplius deest CELSISSIME PRINCEPS, Cui: *fluunt passim pretiosa largis saecula rivis.* Aurifer ille nativus Ganges Tuus, non modo gemmis & auro, ac dulci nectare fluit, verum etiam ex alto Oceani istius, radiantia Lechico Polo, emergunt sydera. Oriuntur hinc Tibi & Patriae, ingenui sangvinis non dissimilia Genitori suo Lumina, an verius duo belli fulmina: STANISLAVS & IOSEPHVS: *En nova Ledaeis soboles fulgentior astris!* quae ingenti fama sua, brevi, in coelo tonabunt Lechico. Splendidissima haec luminaria, perpetuum gloriae suae accendunt diem, Patriae, nusquam opacam admissura noctem. Non vana haec spes & solamen Parentum, ex Ijs, quorum matura indoles, gravitate, immaturam superat aetatem; & pristina Majorum tempopora, adaequat constantia animi. In teneris annis, nihil temeri tractant, immò Martialibus assvescunt crepundijs, nimirum.

Claud: *Strictis quos fulgida telis*
Inter Laurigeros aluerunt castra triumphos.

Sanè, aurea haec Paternae Purpurae fila, brevi in Principum conspicienda Paludamentis, quò Paterna prolem urgebit fortius, ac ducet gloria. Iam enim manifeste, ex ejusmodi Augustâ sobole, patet magnorum virtus clara Parentum. *Patrius mavortis amor, fatusq; notantur, Romulei.* Non enim Iovis altisoni, pennata satelles Aquila, imbelles, verum virtute sibi aequales, producit pullos. Sic fortes fortibus creari constat.

Sic Patris indoles.
Augusta, natos occupat, & suos
Avanc: *Mores refingit, sic Leones,*
In soboles, animos refundunt.

Par nobile Fratrum, quos in summa aestimatione, copulavit amor, eos neq; Dij immortales, etiam beneficijs, disiungere possunt. *Quidquid enim alterutri praestatur, utriusq; bonum est: nec virtutes partiuntur se uni, quin utriq; suf-*

ſuffragia ſint ad honorem; nec honores, cum alterius dignitas alteri ſit corona. Emergunt de hoc nativo Æquore Tuo etiam cariſsima, mirandæ virtutis, decora: *Coralijq; decus liquidi, gratiq; Topazi:* nempe Coralina, dulciſsima Nata Tua CAROLINA. Ex ejuſq; CAROLINÆ; ut patet, Ethymo; præſens ævum ſecunda gaudebit CORNELIA. Sanè gemmifera hæc Concha, ſplendida Patriæ genitura decora. Nō diſsimilis hæc, & Magnæ olim ILLUSTRISSIMÆ, de SZTARENHAVSEN, S. R. I. Comitiſsæ, Genitricis ſuæ, proles: Cujus, ſplendor Nominis, in Imperio, è ſummarum Familiarum progenie, ortus: etiam in Lechici Regni Corona, auget gloriam. Avitum Inſigne Ejus, bini, ungvibus aduncis, armati Gryphi pedes, cum leni inſcriptione amoris: LIEBE, LIEBE: ejuſmodi Parente progenitos: hoſtibus, terrori Civibus amori futuros denotat. Proinde arma hæc, veriſsimum hieroglyphicum Regum & Principum, probarem, adjecto Lemmate: *Hinc amor & metus.* Profectò CELSISSIME PRINCEPS. Nimium Te beavere Numina, Dum Tibi, delicatiſsimas haſce, oculorum pupillas, ſplendida donavere Lumina: Quæ Tibi, uti ſplē-doris & ſangvinis ſui, Authori, etiam ſub Cœlo, clariſsimū voluptatis, efficiant Cœlum; eâq; luce incolumis & diuturnus, nulla fatorum obſtante Nube, fruere. Sole clarior veritas apparet, eximias virtutes Tuas, in plurima ubertate, Tibi propitium remuneraſſe Cœlum, præcipuè dum Te, tam ingenti, inclyti ſangvinis Tui, ſolatur incremento: per quod in STANISLAI Nomine, æternum laudis ſtabit monumentum: in IOSEPHO, indeficiens Tua, ſemper accreſcet gloria. Purpuraſcet in rubro. alti ſangvinis CAROLINÆ corallo. Recipe igitur CELSISSIME PRINCEPS ILLVSTRISSIME DOMINE PALATINE SANDOMIRIENSIS, hunc, quē Tibi, Polono Bellerophonti, jurata & fidelis manus, Cultoris Tui, Cracij Equitis, miniſtrat ac dedicat, Equum animoſum. *En purpureo Tibi de grege currit Equus.* Etenim generoſus & indefeſſus eſt, hic GEORGII Herois ſonipes, cùm in rubeo Martis campo, nuſquam fatigabi-

 lis,

lis, facilè purpuream honorum Appiam, Palatinos dignitatum apices, ac summæ gloriæ ad Olympiacæ præmia palmæ, decurrit fastigia. Interritus sanè, nam Gradivi classica, & armorum contemnit strepitum. Nulli ensium fulgori, tormentorumq; fragori, nullis unquam belli, cesserat fulminibus libenter feret LVBOMIRSCIANI frena imperij: nullo indiget stimulo, sufficiet ipsi, unicum gloriæ calcar, quo stimulatus, sub pedibus Tuis, Lechice ad Clavam Alcides, per saxa per ignes, non tremulo pede summam honoris attinget metam. Ascende ergo faustissime, intende prospere, procede; & de æquo, sublimem Inclyti Palatinatus Sandomiriensis, occupa Curulem: quem Tibi de condigno, manifestis Tuis, erga suam Majestatem, meritis, felicissime regnantis AVGVSTI II. confert benignitas. Te altus, unicè liberi, sub sole Regni, ambit Senatus: Purpurati aperto pectore, expectant Patres: Te Patrem Patriæ, universa Respublica, invocat desideratissimum; ac Ductorem suum, totius Inclyti Palatinatus Sandomiriesis Comitaturi, cum applausu expectant Equites. Quanquam splendidus, ac dives in omnia, munificusq; es; cũctosq; ditare vales: non desunt Tibi innumera equorum agmina: non dedignare tamen, à Cliente Tuo, quem pedibus Tuis subijcit, recipere, non suspectum Danaorum donum: inornatum quidem Cornipedem: At tu eum decorare vales: qui es specialissima SRZENIAVÆ LVBOMIRSCIORVM Gemma. Pro certo, pectora Civium Patriæ, ejusmodi Gemmæ, candidas reputes Conchas, ex quibus etiam, gemmei Candoris, colliges incremeneta. Cui precor, ut Tu Decus Lechidum, & in cara sobole Tua, Europeo niteas Orbi; ac in Religionis zelo, Studijs Majestatum, Conservatione Legum & libertatis nostræ, votis Reipublicæ, vultu fortunæ sereno, ejusq; immutabilibus utaris favoribus; immensaq; ævi decurrens spatia, videas Patres Patriæ, Filios Filiorum Tuorum. Æquitatis & Equitatus amator, in Equo & Æquo, vigeas, summis major Gemmis, universi Regni, & præcipue Inclyti Palatinatus Sandomiriensis, indissolubilis.

UNIO.